

1266, agost, 13

*Bernat Loreta i la seva esposa Ermessenda venen a l'abadessa de Sant Daniel una feixa de terra situada a Vilamalla pel preu de 76 sous.*

ASD núm. 193, 180 x 196 mm. Còpia: ASD, Llibre 21, núm. 126, pp. 126-127.

Sit notum cunctis quod ego Bernardus de Loreta de Uilalmala et uxor mea Ermesendis, gratis et ex certa sciencia, per nos et per omnes nostros successores presentes et deinceps uenturos uendimus et in presenti tradimus uobis domine Berengarie de Palegreto, abbatisse Sancti Danielis Gerunde, absente tamquam presente et conuentui uestro et uestris et cui uel quibus uolueritis perpetuo, unam feixiam nostram terre quam habemus et tenemus in parrochia Sancti Uinentii de Uilalmala per liberum et franchum alodium, ad locum quod uocant Font Luscho. Affrontat ab oriente in tenedone Ferrarii et a meridie in tenedone mansi Raimundi Boffil, ab accidente in tenedone Raimundi Macip, a circio in terris Furtiani Ricard. Predictam siquidem feixiam nostram terre, sicut superius confrontatur, cum intratibus et exitibus, pertinenciis et tenedonibus et cum omnibus melioramentis et augmentis que ibi fieri poterunt, sic ipsam uobis et uestris et predicto monasterio uendimus pro libero alocio pro pretio .LXXVI. solidorum melgoresium, de quibus fatemur nos a uobis esse bene paccatos et contentos, renunciando exceptioni non numerate pecunie. Et si forte predicta uenditio plus dicto precio ualet uel ualebit, illud plus totum uobis et uestris donamus et remitimus, scienter renunciantes illi legi per quam deceptis ultra dimidiam iusti precii subuenitur, et omni excepcioni doli et metus et actioni in factum et restitutioni in integrum et amni alii iuri nobis competenti. Et ideo dictam feixiam de nostra nostrorumque iure et potestate eicimus penitus et extrahimus, eandem in uestram uestrorumque ius, dominium et potestatem, et in uestram corporalem et uacuam possessionem mitendo et transferendo ad omnes uestras uestrorumque uoluntates perpetuo faciendas. Et sic conuenimus predictam uendicionem facere uobis et uestris habere et tenere in pace de omni homine, obligando inde uobis et uestris pro omni euictione et interesse nos et omnia bona nostra. Et nos predicti Bernardus Loreta et uxor eius Ermesendis iuramus sponte per Deum et eius sancta .rrn. Euangelia corporaliter tacta eadam omnia rata et firma semper habere et in aliquo non contrauenire ratione ypothece et ratione donationis propter nuptias uel alio aliquo modo.

Actum est hoc idus augusti anno Domini .MCCLXVI.

Sig+num Bernardi Loreta, sig+num Ermessendis eius uxoris, qui hec pariter firmamus, iuramus et laudamus, firmarique rogamus. Sig+num Bernardi de Furchis, sig+num Petri de Furchis, sig+num Berengarii Lobeti Constantini, huius rei testium.

Sig(s. man.)num Raimundi Todoni, ebdomedarii et scriptoris de Basilia, qui hoc scripsit die et anno quo supra.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 406-408